

ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paullatim, munia Senatus, magistratum, legum in se trahere, nullo adversante; cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti, tuta et praesentia, quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto Senatus populique imperio, ob certamina potentium, et avaritiam magistratum; invalido legum auxilio, quae vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.

III. Ceterum Augustus subsidia dominationi, Claudium Marcellum, sororis filium, admodum adolescentem, Pontificatu et curuli Aedilitate; M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia, et victoriae socium, geminatis consulatibus extulit: mox, defuncto Marcello, generum sumpsit. Tiberium Neronem, et Claudium Drusum, privignos, imperatoriis nominibus auxit, integra etiam tum domo sua: nam genitos Agrippa, Cajum et Lucium, in familiam Caesarum induxerat; necdum posita puerili praetexta, Principes Juventutis appellari, destinari consules, specie recusantis flagrantissime cupiverat. Ut Agrippa vita concessit, L. Caesarem, euntem ad Hispanienses exercitus, Cajum, remeantem Armenia et vulnere invalidum, mors fato propera, vel hovercae Liviae dolus abstulit; Drusoque pridem extincto, Nero solus e privignis erat: ille cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur; non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum, Agrippam Postumum, in insulam Planasiam projecit, rudem sane bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. At hercule Germanicum, Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus imposuit, adscirique per adoptionem a Tiberio jussit; quamquam esset in domo Tiberii filius juvenis, sed quo pluribus munimentis